

Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Mayenne, Nr. 33

Ego Juhellus, dominus Meduane, filius Gaufredi cuius pater extitit senior Juhellus, notum facio [presentibus et futuris] quod Herbertus de Logeo temporibus meis visus est inferre calumniam monachis Sancti Stephani in decima Sancti Frambaldi, cuius quinque partes monachorum sunt, et in decima de Tuabove cuius due partes monachis cedere dinoscuntur. [Itaque cum aliquandiu inter monachos et Herbertum disceptatum esset], tandem [ad hoc ventum est et] hoc modo lis sopita est, quod Herbertus in presentia Cenomanensis episcopi et in [presentia] mea, multis ostantibus, jus monachorum recognovit et calumniam quam falso pretenderat omnino dimisit seque nullam deinceps facturum molestiam promisit, nec solum promisit sed etiam fiduciavit. Sed et siniscallus meus Hugo Molnerius, cuius filiam predictus Herbertus habebat, hec sicut dicta sunt, benignissime concessit. Monachi vero ut res ista in posterum firma permaneret, cum domini cenomanensis et meo consilio, centum solidos cenomanensium predicto Heriberto dederunt, nec timore nec velut inferiores, sed ut benevolentiam Herberti et consanguineorum ejus adquirerent. Ego autem hujus rei et concordie testis existo meque custodem et adjutorem monachis futurum promitto, et pro testimonio literas feci fieri quas sigillo meo munivi, et nomina testium qui interfuerunt subscribere feci. Ex parte domini episcopi Cenomanensis Rainaudi affuit Willelmus Baistat, magister Girardus archidiaconus, Petrus cantor frater episcopi, etc.; ex parte mea Guillelmus de Hercheneio, Radulfus de Valletorta, Gualterius de Ponte, etc.